1905 Nr. 14

Lane Medical Library

DE

SARCINA PARASITO QUODAM VENTRICULI HUMANI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS WINDMUELLER

HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

HENR. DELLEVIE, MED. ET CHIR. DR.
KOESTER, MED. ET CHIR. DD.
HAGENOW, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

THEODORO WEBER,

MED. ET CHIR. DOCTORI, IN LITTERARUM UNIVERSITATE LIPSIENSI PRIVATIM DOCENTI

NEC MINUS

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

MARTINO ELLIS,

MED. TE CHIR. DOCTORI, MEDICO PRACTICO HAMBRUGENSI

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

GRATA MENTE

OFFERT

AUCTOR.

Jam anteaquam Goodsir (Edinb. medical and surgical Journal 1851) parasitum in ventriculo obvium detexerat et *Sarcinam* appellaverat, nec non conditiones, sub quibus super tunica ventriculi mucosa oriatur, memoraverat, Heller urinae sedimentum se vidisse tradidit, cujus pars quaedam materiam sarcinae similem exhibuerit. De sarcina nimirum in urinae sedimento obvia refert, se in duobus irritationis spinalis exemplis urinae hypostasin, pollicis altitudine conspicuam, raram, albam observasse, quae fere tota e cellulis agglomeratis constiterit, quas prius aliquando in urina et materiis vo mitu ejectis invenerit et quas postea Goodsir iterum detexerit et „Sarcinam“ vocaverit.

Hoc corpus a Goodsir primo descriptum Alga est, cujus simplicissima forma quatuor cellulis, cubi instar in rotundiusculam figuram coactis (magnitudinem 0,004 millim. habentibus) constat, quo fit, ut species sarcinae duplici modo in duas perpendiculariter constrictae efficiatur. Duo aut plures talium cuborum saepe in ma-

jores agglomerationes coëunt, quae singulis e cellulis 8—64 consistunt. Ut plurimum sarcina in iis materiis vomitu editis occurrere videtur, quae multas ciborum reliquias continent, praeterea semper fere inventa est, si propter organicas ventriculi mutationes alimenta nimis diu in eo retenta erant. Ceteroquin sarcina non solo in ventriculo, sed in aliis etiam organis, ut cerebro, pulmonibus etc. deprehenditur; attamen observationes istae adhuc mancae sunt; longe frequentissime ventriculus ejus sedem exhibet. Observationes aliquot ab aliis evulgatas apponere iisque casum a me ipso in policlinico Lipsiensi observatum atque curatum adjungere liceat, ut ex his omnibus judicium de neoplasmatis dicti indole et dignitate ferre possimus.

1) Sarcina ventriculi, ejus exploratio etc. a Dr. Arth. H. Hassall. Lancet. April 1853 (Cf. Schmidt's Jahrb. Bd. 79. S. 184).

Dr. S. quinquaginta quinque annos natus per triginta annos praxin admodum difficilem, equo plerumque aut vehiculo usus, factitaverat, praeterea saepe noctis partem legendo consumserat. Ex octo et viginti annis dyspepsia, doloribus epigastrii, flatulentia, anorexia laboraverat, quae per novissimos hosce duodeviginti annos accreverant et cum vomitionibus periodicis, saepe bis—ter per diem redeuntibus, summum per unam alteramve hebdomadem intermittentibus, sese con-

sociaverant. Carbo praeparatus, bismuthum, acidum hydrocyanatum, creosotum, argentum nitricum effectu destituebantur. Anno 1848 aeger maxime languefactus Londinum ad Prout sese contulit, qui morbum organicum suspicatus non esse dicitur. Aqua regia aegrum non levavit, qui vero quum per duodecim menses extra patriam degisset, morbus in melius abiit. Ab anno 1849 aeger munere suo iterum functus in pristinum recidit statum, qui ita ingravescebat, ut novissimis octo — decem mensibus vomitus raro per aliquot dies deficeret fereque semper singulis diebus pluries repeteretur. Materiae vomitu editae massam obtulerunt limpidam, viscidam, pallido-flavam, tam acrem, ut dolorificam faucium excoriationem efficeret. Quantitas ejus per diem saepe quatuor — quinque mensuras aequabat, interdum uno vomitu eadem copia ejiciebatur, etsi aegrotus intra hoc tempus summum 3½ octarios fluidi se ingessisse affirmabat.

Natrum aut kali bicarbonicum vomitionem repressit doloremque plerumque extemplo demulsit; natri saepe plus quam libram integram, kali bicarb. unciam 1—2 post quemque vomitum aeger sumsit. Nulla diaeta revera morbum levavit, aeger magis magisque macrescebat et conficiebatur, vomitu autem per aliquot dies intermisso prompte recreabatur.

STATUS PRAESENS.

Aegrotus per intervalla capitis dolore, vertigine, musculorum convulsionibus per totum corpus, magna frigoris impatientia vexatur; ante vomitum frigus ad horrorem evehitur. Oculorum scintillatio et caligatio inprimis sub vesperam accedunt. Pulsus nonnunquam intermittit, plerumque tamen 1000 ictus sine intermissione numerantur. Dolores utrumque humerum tenent, tussiendi conatus ineunte tantum vomitu accedunt. Alvus ut plurimum adstricta est, urina varia, modo pallido-succinea, copia mensuram unam ad tres octarios aequans, modo duas tantum aut tres uncias, modo saturate fusca, cuticula nitida (phosphatibus) tecta; ultimum hoc inprimis post vomitum animadvertitur. Reactio horis matutinis plerumque neutra, saepe alkalina; sanguis, albumen, saccharum non insunt.

Materiae vomitu editae permagnas portiones sarcinae ventriculi, solitis attributis praeditae, numerosos globulos amylaceos, sporas nonnullas penicilli glauci et alius fungi, quae praegrandes, ovales et saturate fuscae sunt, continent. Portio a Dr. Letheby chemicae analysi submissa fluidum obtulit pallido-flavidum adipe turbidum, ponderis specif. 1001,5, quod reactionem intense acidam edidit; grana centum duo gr. natri bicarbonici ad neutralisationem requirebant. Partium ejus constituentium hae proportiones fuerunt:

Aquae	975,82
Acidi hydrochlorati liberi	0,80
Acidi butyrinici	1,38
Materiae adiposae flavae, butyri consistentiam habentis	8,00
Principii extractivi alcohole solubilis . .	2,42
Ejusdem principii aqua solubilis	4,00
Albuminis	2,00
Alkalium chloratorum et vestigior. sulphatum	4,58
Calcariae phosphoricae	1,00
	1000,00

Acidum lacticum abfuit. Salia praecipue natrium chloratum et sulphatum vestigia obtulerunt; ammoniacum quoque demonstrari potuit.

Hassall nutritionis turbationem per secretionem succi praeter modum acidi principem morbum esse tradit, qui per Sarcinam sustentetur. Saturatio igitur acidi et destructio fungi gravissimae indicationes ei videntur. Kali carbonicum et decoctum quassiae cum maximis natri sulphurici dosibus et abstinentia a victu pingui et salibus opulento salutarem usum praestiterunt.

2. Sarcina ventriculi cum hepatis pimelosi, a Dr. R. Barnes (Cf. Schmidt's Jahrb. Bd. 83, S. 178).

Mulier sexagenaria, opiophaga, vitae sorte bona utens, plures per annos biliosis affectionibus et vomitu laboraverat. Insultus nonnunquam ad convulsiones evehe-

bantur, quas magna debilitas et ventriculi dolores excipiebant. Vere a. 1853 talis insultus spasmis vehementibus vomituque crebro conjunctus rediit; accedebant agrypnia, pulsus rarus sed plenus, lingua muco albo obducta, alvus regularis, urina fusca. Materiae vomitu ejectae, primum pallidiores et lacte ingesto remixtae, postea viridescebant et e sola fere sarcina consistebant. Respiratio difficilis erat, sed per totum thoracem audiebatur; nec venter nec pedes tumebant. Symptomata sub diversissima curatione exasperabantur; e remediorum numero natrum sulphuricum (Sulphite of Soda) et quassia fuerunt. Post quatuordecim dies aegrota mortem occubuit.

SECTIO.

Corpus valde obesum erat, ventriculus materie impletus ei consentanea, quae vomitu edi consueverat, neque minus duodenum. Mucosa ventriculi punctatam injectionem obtulit, parietes ejus atque pylorus normae respondebant; peritonaei cavitas fluidi aliquid continebat. Hepatis involucrum peritonaeale nec inflammationem nec adhaesiones ostendebat, hepar dissectum pallidum, myristicatum, tela ejus alba, laceratu facilis, cellulae adiposae degenerationi obnoxiae apparebant. Renes, cor, pulmones, reliquae corporis cavitates non examinabantur.

B. Sarcinam esse putat productum secundarium, cujus origo a succo gastrico nimis acido pendeat.

3) Sarcina ventriculi in materiis vomitu editis, a W. Lauder Lindsay (Cf. Schmidt's Jahrb. Bd. 86, S. 149).

Vir septem et quadraginta annos natus, corpore imbecillo, qui excepta enteritide nunquam morbo se aegrotasse retulit, propter incipientem paralysin in hospitium recipiebatur. Ante receptionem vesci consueverat pane butyro illito cum theae infuso, sorbitione fusca e carnibus et ossibus parata, oryza et amylo marantae. In hospitio vomitus accessit, qui sumto spiritu ammon. aromatico cum spiritu aetheris nitrosi rediit. Fluidum ejectum colore et consistentia retrimentis infusi coffeae simile apparebat, nec spumam nec fermentationem ostendebat; quantitas aliquot unciarum, reactio acida, odor fastidiosus erat. Per triduum liquor iste microscopio examinabatur. Elementa praecipue varias substantiarum oleosarum et adiposarum formas obtulerunt, quibus nonnulla Sarcinae et Torulae specimina, parca globulorum amylaceorum copia, telae vegetabilis fragmenta intermixta erant.

De Sarcina ventriculi L. observationibus suis innixus haec ratiocinatur.

a) Sarcina non causa est vomitus pertinacis, ut vulgo putatur, sed modo ventriculi aut canalis digestivi functionem turbatam indicat.

b) Non pathognomonicum exhibet signum stenoseos pylori, dilatationis ventriculi aliarumve mutationum apparatus digestivi, quanquam has conditiones pathologicas saepe comitatur et secundarium quasi phaenomenon aut effectum morbi sistit.

c) Haud dubie multis aliis in morbis, imo levibus valetudinis turbationibus, reperitur.

d) Facilitas, qua diffringitur atque solvitur, nec non illud, quod medici non satis eam circumspexerunt, haud dubie causam continent, quod non infra ventriculum in tubo alimentario inventa est.

4. Sarcina ventriculi, ab Arthuro Leared. (Cf. Schmidt's Jahrb. Bd. 86, S. 149.)

Femina duorum et quinquaginta annorum, prius valida et robusta, tunc (die 13 m. April. a. 1854) admodum emaciata, per annum ventriculi imbecillitatem vomitumque frequentem conquerebatur, qui plerumque 3 — 4 horas post pastum, interdum jejuno ventriculo, oriri solebat et cui dolor vehemens per horae minutas circiter viginti praecedebat. In regione iliaca dextra orsus transversim super umbilicum ad partem sinistram pergit.

Hac in regione aegrota nonnunquam tumorem ovi gallinacei magnitudine animadvertit, qui inter vomendum amplificatur, postea autem decrescit, ita ut dolor quoque evanescat. Saepe sensus raptans ventriculi regionem occupat; nausea, dolor urens epigastrii deficiunt. Ex-

acta ventris exploratio nihil indicavit. Vomitu ejecta erat portio exigua fluidi aquosi, cui rivus massae fuscae, spissae sine majore contentione successerat. Quantitas inter octarium et mensuram variabat, sapor ejus acidus erat et amarus. Appetentia laudabilis, sitis rara apparebant. Alvus semel tantum per hebdomadem secessit, plerumque adhibitis purgantibus fortioribus; pulsus placidus erat, catamenia normae consentanea, caput non affectum. Si materiarum vomitu editarum portio per aliquot horas seponebatur, fermentatio quam celerrime intravit. Facta conquassatione, in locum fluidi superioris spissi et fusci, quod fundum petebat, turbidum, acidum, ponderis specifici 1018 substituebatur. Adhibito microscopio, sedimentum e sarcinae cumulis, residuis ciborum commixtis, consistere intelligebatur. Ter per diem aegrotae liquor. calc. chlor. ʒi, aquae ʒvii praebebantur, quo factum est, ut intra sex hebdomades valetudo non mediocriter corrigeretur vomitusque remitteret. Sarcina non amplius inveniebatur, dolor ac tumor cesserant. Haud multo autem post malum exasperabatur, quare ter per diem natri sulphurici ʒi exhibebatur. Nihilominus vomitio augebatur et tertio demum die ante mortem, quae die 16 m. Junii irruebat, inhibebatur.

NECROSCOPIA.

Corpus maxime macilentum erat, pulmones non mediocriter collapsi, pleura accreta, inferior sinistri pul-

monis pars substantia carcinode infiltrata; cor normae respondens, hepar sanum, vesicula fellea plena; ventriculus plane dislocatus inde a diaphragmate, ubi cardia affigitur, perpendiculariter versus spinam anteriorem superiorem ossis ilium porrigebatur. Eodem ac colon descendens situ utebatur in sinistro latere prope columnam vertebralem et octarium circiter fluidi retrimentis infusi coffeae similis continebat. Maxima ventriculi vacuefacti et expansi longitudo $11\frac{1}{4}''$, sectura centralis $2\frac{1}{2}''$ aequabat; aquae mensuram capere poterat. Tres circiter pollices a pyloro tunicae ventriculi in crassam solidamque massam abierant. Facta sectura, carcinoma colloides cum textura fibrosa et manifesta malignitate conspiciebatur. Massa carcinosa in annulum singulorum nodorum terminabatur, quorum nonnulli ad instar globuli in ventriculum imminebant; membrana mucosa sana videbatur, muscularis autem prope morbi sedem hypertrophica. Cannula tenuis non sine labore per coarctatum pylorum traduci poterat. Pancreas ventriculo parallelum apparebat, superior ejus pars indurauerat; lien normalis, mesenterium nodis carcinosis variae magnitudinis obessum erat.

Mirum sane erat, quod Sarcina adhibita calcaria chlorata evanuit ejusque usu seposito mox rediit. L. porro et cum Sarcina et sine hac magnum numerum corporum irregularium, rotundatorum, semipellucidorum,

coloris fusco-viridescentis, animadvertit, quae minora quam sarcina, varia utebantur amplitudine et cumulos plus minus cohaerentes conformabant. L. sarcinas esse putat embryonales, quarum evolutio vi inimica medicaminum adhibitorum prohibita fuerit. Hac re celeritas explicari poterit, qua Sarcina, si plane jam deleta videtur, reverti solet.

5. Casus in policlinico Lipsiensi duce Dr. Th. Weber observatus et curatus.

G. Unger, sexaginta sex annos natus, opifex lanarius, ex anno 1852 ventriculi affectionibus laborat, quae, praecipue inde a mense Aprili 1857, in crebra hydremesi cernuntur. Jam ante hoc tempus integrum per annum doloribus acerbis et universa debilitate aegrotaverat, lac et anthelmintica sumserat, quae tamen effectu destituebantur. Alvus per totum illud tempus modo normalis, modo fusa, modo obstructa erat. Inde a mense Martio a. 1856 tussis levior cum sputis et sudores nocturni exhaurientes accesserunt. Ventriculi dolores augebantur, qui repetita hydremesi aliquantum levabantur. — Vsque ad mens. Octobrem anni ejusdem aeger molestiis dictis raro tentabatur viresque mediocres recuperaverat. Posthac tamen morbus ingravescebat, quare solutionis argenti nitrici (gr. 1 ad aqu. ʒiv) cochlear majus ter per diem exhibebatur, quo facto valetudo aliquantum instaurabatur. Elapso autem biduo novus ac-

cessit insultus, qui extracti hyoscyami et bismuthi nitrici āā gran. 2 quotidie datis aliquamdiu cessit.

Die 16 mens. Novembris aeger valetudine relative bona utebatur, speciem praebebat laetam, cibos ferebat et in integrum restitutus videbatur. Die 14 mensis Maji a. 1857 observandus mihi tradebatur.

ANAMNESIS.

Quinque ex diebus alvus non secessit, appetentia deficit, aeger intra dictum tempus pauca nutrimenta sumserat, multum potaverat, omnia vero ingesta protinus vomitu reddiderat. Datis extracti hyoscyami et bismuthi (āā gr. 1) dosibus sex, vomitus remiserat, veruntamen alimentorum assumtio semper ructu et vomituritione excipiebatur. Materiae prius ejectae ut plurimum aquosae, interdum socolaceae, modo amarae modo acidae fuisse dicuntur. Simul ardor ventriculi, acerbi abdominis dolores, somnus brevis, sitis ingens, aestus magnus aderant, nulla autem tussis. Quod ad ventriculi affectionem pertinet, aeger ventriculum, ait, ante quemque insultum magis magisque inflari ejus dolorem augeri, donec post biduum plerumque vomitus oriatur copiosus, quo aut fluidum viride aut fuscum edatur, quod semper fere intense spumet indolemque fermentationi similem offerat. Tali insultu finito, aeger valde levatur et ventriculus collabitur. Idem vero aliquamdiu post de-

nuo inflatur, symptomata dicta revertuntur et vomitus cum levamine accedit.

Adnotat. Aegrotus semper horis meridianis dierum indicatorum visebatur.

STATUS PRAESENS.

Pulsus numerantur 84, respirationes 24, temperies non adaucta est, sudor parcus, species corporis carcinomatosa, cutis color flavescens, macies ingens, arteriae temporales manifeste pulsantes, lingua humida, flavo indumento tecta, halitus oris non foetens, regio epigastrica doloris expers, abdomen autem dolorificum, inprimis latus dextrum, generatim aliquanto tensum. Hernia inguinalis externa, quae inde a pueris exstat, nunquam doluisse ex ultima autem alvi obstipatione paulo sensibilis esse dicitur. Hernia quum explorationi submitteretur, incarcerata inveniebatur. Sinistro in scroto tumor magnus, salebrosus, duritie ossea, deprehendebatur, sonum percussorium vacuum edens, hernia vero sonum reddidit tympaniticum, nec non murmura et borborygmi in ea audiebantur. In scroti sinistri apice testis sentiebatur, epididymis autem normalis haud detegebatur. Haec affectio ungulae ictu orta esse dicitur, quem equus aegroto stipendia facienti inflixit.

Prae omnibus hernia, etsi difficultatis aliquid praebens, reponebatur.

DIAGNOSIS.

Ulcus ventriculi? Neuralgia ventriculi? Hernia inguinalis externa; Epididymitis sinistra (jam absoluta, cum residuis calcareis et cretaceis).

Adnotat. Silentio praetermittendum non est, aegrotum protinus post vomitum loquendi facultate privari, itaque de nervi vagi affectione non sine probabilitate aliqua concludi posse. Quum vero omnes spirandi difficultates cordisque abnormitates deficiant, suspicio illa repudianda videtur.

THERAPIA.

Alvi obstructio calomelane impugnabatur, nec non oleo Ricini, cujus una uncia per os, altera per anum (clysma) adhibebatur. Utrumque irritum fuit, non enim sedes sequebantur, sed modo ructus insipidi flatusque multi.

Die 15. m. Maji. Alvi excretio nulla, agrypnia, sudor largus, vomitus nullus, ructus aëriferi, pulsus octoginta, ventris latus dextrum valde dolorificum. Calomelanis grana 5 pro dosi exhibebantur.

Die 16. m. ejusd. Quatuor sedes liquidae sine tenesmo, nonnunquam ventris dolor per singulos impetus accedens, frequentes borborygmi, somnus nullus, pulsus septuaginta sex, sitis magna, aestus mediocris.

Praescripta sunt: Morphii acet. gran. 2, Aqu. laurocer. ʒii. Ter per diem guttae 15 sumantur.

Die 17. m. ej. Hesterno vespere vomitio levis sorbitionis ingestae, ructus acidi frequentes, cum dolore et oppressione ventris conjuncti. Hodie dolor in sinistro ventris latere nullus, in dextro latere admodum diminutus; flatus, alvi excretio nulla, somnus parcus, pulsus 76. Aquae bicarbon. sod. lagena dimidia praebebatur.

Die 18. m. ej. Ructus magnis ventriculi doloribus excepti; hesterno vespere somnus parcus; alvus nondum soluta. — Hodie aeger massam socolaceam vomitu reddidit, quae adhibito microscopio pigmentum obtulit, sanguinis pigmento simillimum, sanguine tamen cellulisque carcinosis carens; globuli autem amylacei, crystalli adiposae, sarcinae numerosae insunt.

Adnotat. Analysis chemica in laboratorio Prof. Erdmann instituta docuit, acidam indolem materiae vomitu editae praecipue a magna quantitate acidi hydrochlorati et bytyrinici, ab exigua autem acidi lactici pendere.

Die 19 m. ej. Somnus parcus, ructus multi, hesterno vespere alvus solida. Imperata sunt: Argent. nitr. gr. 6, aqua destill. ʒiv, ter per diem cochlear majus.

Die 20 m. ej. Ventris dolores, heri alvus nulla, vomitus nullus, multi autem ructus. Ante aliquot momenta spiritus elidi videbatur, sudor frigidus frontem

et nasum tegebat; regio epigastrica dolorifica erat. — Dolores magis vagantes esse, nempe per pectus, inter scapulas, ad os sacrum protendi videntur; nox insomnis.

Die 21 m. ej. Hesterno vespere assumtionem sorbitionis e filis farinaceis paratae vomitus largus sequebatur, quo facto valetudo relative perbona apparebat; somnus nocturnus laudabilis erat; pulsus 80; lingua indumento albo conspicua; appetentia exigua.

Die 22 m. ej. Praegressa exaltatione psychica, nox admodum inquieta fuit, vomitus tamen nullus. Interdum convulsionis sensus in toto corpore oritur, nec non sensatio, tanquam instrumentum per anticam ventriculi partem intrudatur, per posticam extrudatur. — Alvus normalis. Adhibita sunt: Argent. nitr. gr. i, Aqua destill. ℥iv. Quater per diem cochlear majus.

Die 23 m. ej. Somnus nocturnus bonus, nec dolor ventriculi nec vomituritio, ructus pauci, alvus normalis, lingua obducta, appetentia exigua.

Die 24 m. ej. Valetudo et somnus laudabiles, diarrhoea levis, sitis parca.

Die 25 m. ej. Per noctem valetudo adversa, vomitio massae cinereo-fuscae, quae praeter ciborum residua, mucum etc. adhibito microscopio multum epithelii stratiformis et Sarcinae ostendit. Aeger regionis sacrae dolores conqueritur. Cucurbitulis ibi applicatis, levamen parabatur.

Die 26 m. ej. Valetudo bona, somnus laudabilis; hesterno vespere nausea, at nullus vomitus. Pulsus 82, alvus ex biduo nulla, sitis magna, dolor nullus, lingua leviter obtecta, anorexia. Praescripta sunt: Argenti nitr. gr. 2, Aqu. destill. ʒvi. Ter per diem cochlear majus.

Die 27 m. ej. Hesterno vespere vomitio massae cinereae flocculentae (circ. bis tertia mensurae pars); somnus bonus, alvus adhibito clysmate normalis.

Die 8 m. Junii. Aeger per hebdomadem unam et dimidiam fere quotidie vomuit. Corpus ejus macilentum apparet, cachecticum, species carcinomatosa. In hypochondrii dextri intima parte tumor sentitur durus, tensus, paulo salebrosus. Ventriculi sonus percussorius latissime diffusus est. Materiae vomitu ejectae teste aegroto ingesta continent, imo ea, quae plures ante dies assumta sunt. Emissis flatibus aeger levatur; alvus parca est. — Praeterea adnotare oportet, aegrotum per novissimos quatuordecim dies tincturae jodi guttas quatuor p. d. cum aquae cucullo hausisse, deinde autem quotidie quatuor cochlearia minora natrii chlorati sumsisse.

Die 9 m. ej. Valetudo pejor quam hesterno die; multae vomituritiones, ructus acidi, somnus nullus, dolor ardorque regionis epigastricae, usque ad regionem sacram pergentes; sitis et aestus ingentes; pulsus 78; supinus aeger recumbere nequit.

Die 10 m. ej. Hesterno vespere vomitus, qui levamen attulit; somnus bonus; situ supino, novissimis diebus impossibili, aegrotus nunc uti potest. Interdum magnus aestus, aut sensatio, tanquam totum corpus acubus pungatur. Hoc tempore ructus nulli, lingua sicca, satis crasso indumento tecta; appetentia parca, alvus soluta, ventris dolor nullus, flatus pauci, ventriculus versus dextrum latus pressione dolens, quo loco etiam tumor tensus adhuc sentitur. Pulsus 70.

Die 11 m. ej. Somnus parcus, hesterno vespere levis vomitus, sedes nulla, ructus flatusque pauci, appetentia exstincta; lingua albo mudo intense obducta, ventriculus haud dolorificus, sudor non copiosus; pulsus 70. — Imperata sunt haec: Magnesiae carbon. ʒß; quantum cultri apice excipitur, p. d. sumatur. — Creosoti gtt. xii, Micae pan. alb. q. s. ut f. Pil. No. 12. Ter per diem pilula una ingeratur.

Die 12 m. ej. Sub mediam noctem dolor gravis; multum sudoris; vomitio materiae spumosae, minus acidam reactionem exhibentis, quam antea. Valetudo nunc laudabilis, nec dolor nec sudor; lingua obducta; alvus heri et hodie nulla; appetentia deficit, somnus parce accedit.

Die 13 m. ej. Valetudo haud secunda; hesterno vespere vomitio materiae peramarae; somnus exiguus, dolor regionis pyloricae; lingua intense oblimata; alvus

ex triduo nulla, pulsus 80; sudor copiosus; dolores nunc blandiores sunt quam vespere hesterno. — Datae sunt pilulae aloëticae.

Die 14 m. ej. Nox paene insomnis erat, massa acida, amara vomitu edebatur, quo facto autem valetudo non corrigebatur. Pilulae aloëticae alvum nondum laxarunt. Ante vomituritionem dolor acerbus, nunc levior; decubitus rubore erythematoso conspicuus. Imperabantur: lotiones e spiritu vini; interne Aqu. chlorat. ʒß, Aqu. destill. ʒvß. Alternis horis cochlear majus.

Die 15 m. ej. Heri post meridiem et sub vesperam valetudo adversa; aeger sudore quasi diffluebat; vomitio materiae acidae, amarae, cui dolor ardorque ventriculi praecesserunt; alvus pilulis aloëticis soluta.

Die 16 m. ej. Hesterno vespere vomitus repetitus, tum quies ad horas usque antemeridianas hodierni diei; languor ingens; hoc ipso tempore dolor ventriculi. Imperata sunt haec:

℞. Bismuthi nitr. gr. viii
Extract. Hyosc. gr. xvi
Magnes carbon. ʒii

M. F. P. Div. in part. aequ. No. 4. Mane et vespere talis sumatur pulvis dimidius.

Die 17 m. ej. Hesterno vespere vomitus, praegresso ventriculi ardore; ructus frequentes; sitis multa.

Die 18 m. ej. Hesterno etiam vespere vomitio ma-

teriae acidae, amarae; ructus dolorificus; alvus regularis; somnus nullus; lingua flavo indumento oblita; pulsus 84; sudor parcus, sitis magna, anorexia.

Die 19 m. ej. Vomitus nullus, sed dolor multo acerbior, agrypnia, magna in ventriculo fermentatio; alvus bona, ructus crebri, sudor copiosus, lingua obducta. — Tinctura jodi ventriculi regioni illinebatur.

Die 20 m. ej. Illinita jodi tinctura, omnia in melius versa sunt. Somnus laudabilis est, nec vomitus, nec vomituritio, nec dolor, valetudo igitur secunda; lingua pura, appetentia mediocris.

Die 21 m. ej. Tinctura jodi iterum illinebatur.

Die 22 m. ej. Valetudo secunda, vomitus nullus, appetentia bona, alvus normalis, sudor parcus, neque dolor neque ructus, lingua satis pura. — Hodie quoque jodi tinctura regioni epigastricae illinebatur.

Die 23 m. ej. Valetudo bona, sudor parcus.

Die 24 m. ej. Quamquam aeger per noctem bene dormivit, tamen lassitudinem queritur, nec non dolorem lancinantem auris, interdum etiam ventriculi. Lingua satis pura, appetentia mediocris, alvus quotidie faeces liquidas reddit (utrum sarcinae in iis insint, exploratum non est).

Die 25 m. ej. Magna lassitudo, appetentia laudabilis, sapor pituitoso-fatuus, lingua leviter obducta, somnus bonus, alvus non reddita. Pruritus et vellicatio pedum sine perspicuo exanthemate. Diagnosis: *Pruritus.*

Die 26 m. ej. Valetudo mediocris; pruritus et rosio in toto corpore sine exanthemate manifesto; alvus hodierno mane aliquanto liquida; dolor lancinans et trahens in pede dextro. Spiritu camphorato pedes perfricabantur.

Die 27. m. ej. Pedis dolor diminutus.

Die 28 m. ej. Valetudo laeta, pedis dolor fere plane fugatus.

Die 2 m. Julii. Longiore ex tempore nec vomitus, nec ventriculi dolores, nec ructus accesserunt; hodie autem cutis citra exanthema vehemente pruritu et rosione offenditur.

Die 4 m. ej. Pruritus et rosio cutis, dolor lancinans gravior in sura dextra. — Sinapismi surae dextrae imponebantur, sapo viridis extremitati inungebatur.

Die 6 m. ej. Pruritus ac dolor evanuerunt.

Die 7 m. ej. Valetudo omni ex parte laudabilis. Vir recuperata sanitate dimittitur.

Quod ad pathologicam Sarcinae indolem pertinet, silentio praetermittendum non est, Virchow et Frerichs pathologicam ejus dignitatem diffiteri. Imo Frerichs, observationibus suis innixus, haec sibi ratiocinanda esse putat (Cf. Schmidt's Jahrb. Bd. 60, S. 3), quae verbo-

tenus apponam: „Eine eigenthümliche durch die Sarcine veranlasste Dyspepsie gebe es nicht, indem die vorkommende Symptomengruppe häufig ohne Sarcine und die Sarcine ohne jene beobachtet werde. Der Causalnexus sei also keinenfalls ein enger. Die Sarcine sei also ein Gebilde ohne grosse pathologische Bedeutung, *ein harmloser Bewohner des Verdauungskanals*, wie die Fadenpilze, welche im Magen der Pflanzenfresser, die Gährungspilze, die in dem des Menschen und der verschiedensten Thiere so oft gesehen würden.“ Nihilosecius animum ad semioticam hujus neoplasmatis dignitatem advertendum esse existimo, et, si hucusque nequaquam constat, Sarcinam per se symptomata excitare debere, tamen existentia ejus, imprimis apud homines, semper cum gravioribus apparatus digestivi alienationibus consociari videtur.

Si fidem habemus observationibus hactenus collectis, ad proferendas molestias cum Sarcina conjunctas opus esse videtur statu, qui ventriculi vacuefactionem promtam et perfectam prohibeat, sive stenosis adsit pylori, per strictiram inducta, sive carcinoma compressione regionis pyloricae aliisve organis effectum. Ut plurimum morbus mediam et provectiorem aetatem adgreditur, attamen Höring (Confer. Schmidt's Jahrbücher Bd. 64. S. 68) Sarcinam apud infantem quinquennem, qui hydrocele etiam laboravit, se observasse tradit. Dr. Walter

adeo in materiis, quas infans decimestris, qui inter vitam hydrocephali chronici symptomata, soporem, strabismum etc. obtulit, aliquot ante mortem dies vomitu ediderat, Sarcinam se invenisse affirmat. Appetentia generatim laudabilis esse solet, attamen alimentorum ingestio flatulentiam, ventriculi extensionem, dysphoriam producit, imo dolores regionis epigastricae aegrotantium calamitates haud mediocriter intendunt. Dysphoria aut dolores plerumque aliquot horas tenent, ut plurimum eo usque, donec ventriculus sive vomitu sive digestione vacuefactus est. Quo facto aeger completa valetudine utitur, imo si, morbo ad majorem gradum evecto, molestiae per dies protrahebantur aegrotusque macie conficiebatur, interdum valetudo post vomitum eatenus instaurabatur, ut homo sine ullo impedimento ad solita negotia revertere posset viriumque refectione celeri et valetudine relative secunda gauderet. Massa vomitu ejecta liquorem exhibet plus minus limpidum, acida reactione insignem, fermentantem; quantitas ejus, prout impedimentum variat, quod in ventriculo evacuationi ejus naturali obstat, duas mensuras aequare potest. Febris adesse non solet, somnus tamen saepe turbatur aut plane prohibetur, quoniam regionis epigastricae extensio et dysphoria magnas molestias aegrotis inferunt, quae sub vesperam plerumque majorem acerbitatem quam interdiu assequuntur. — Digestionis alteratio, do-

lor, qui saepe ad intolerabilem atrocitatem evehitur, agrypnia etc. corporis volumen diminuunt et, si diu protrahuntur, habitum carcinomatosum efficere possunt.

Quod ad therapiam attinet, palliativa tantum aut symptomatica, id quod e supra dictis elucet, institui potest et praecipue ventriculi dysphoriam acidi neutralisatione demulcere studet. Gravissima tamen ea sunt remedia, quae fermentationis processum impediunt, quo respectu Creosotum (gtt. ½ — 2 post quemque pastum) saluberrimum esse solet. Praestantius auctore Jenner bisulphitum natri est, cujus efficacitas ab acidi sulphurosi evolutione pendere videtur. Hujus remedii ʒii Aqu. destill. ʒi solvuntur et quodie ter — quater cochlear minus post pastum cum vitro aquae ingeritur. Obstructioni, quae chronico morbo supervenit, pilulae ex aloë aut colocynthide paratae optime medentur, doloribus autem narcotica, ut opium, porro bismuthum nitricum cum extracto hyoscyami et magnesia carbonica, argentum nitricum, tinctura Jodi et interne (gutt. 3—5 p. d. cum aqua destill.) et externe, regioni epigastricae nimirum illinienda, denique aqua bicarbonica.

VITA.

Natus sum Henricus Hermannus Windmueller, fidei veteri addictus, die XXIX mens. Jul. a. 1835 Hamburgi, patre Philippo, matre Adelaida e gente Bauer.

Primis literarum elementis in schola patriae urbis imbutus, Gymnasium, quod Joanneum appellatur et Directore Carolo Friderico Kraft floruit et adhuc floret, anno 1847 adii.

Anno 1854 testimonium maturitatis adeptus Anatomiam et Gymnasium Academicum patriae urbis Rectore Magnifico Wurm frequentavi.

Duobus ibi peractis semestribus, almam literarum Universitatem Ruperto-Carolinam petii et Rectore Magnifico Illustrissimo Baer inter cives academicos receptus sum. Duobus semestribus elapsis, ad Lipsiensem Universitatem me contuli, cujus civibus ab Ill. Erdmann, Rectore Magnifico, assignatus, postquam tria semestria ibi in literas incubueram, ad Fridericam Guilelmam profectus ibique a Rectore Magnifico Rudorff civibus academicis adscriptus sum.

Per triennium hosce viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos disserentes audivi:

Heidelbergae:

Bunsen: de chemia anorganica,

Kirchhoff: de physice,

Schmidt: de botanice,

Nuhn: de osteologia et syndesmologia,

Arnold: de Anatomia corporis humani.

Artem cadavera rite secandi mihi tradiderunt Arnold et Nuhn.

Lipsiae:

Kühn: de chemia organica,

Ed. Weber: de neurologia,

Bock: de anatomia pathologica, de diagnostice physica,

E. H. Weber: de physiologia,

Germann: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis,

Wunderlich: de pathologia et therapia speciali, de morbis constitutionalibus,

Günther: de chirurgia,

Radius: de materia medica, de pharmacologicis demonstrationibus,

Braune: de auscultatione et percussione,

Kneschke: de catagraphologia,

Ruete: de ophthalmiatrice,

Wagner: de histologia pathologica,

Th. Weber: de syphilide,

Kuehn: de fasciis applicandis.

Praeterea frequentavi policlinicum obstetricium Dr. Germann, clinicum chirurgicum Prof. Günther, clinicum medicum Prof. Wunderlich, clinicum et policlinicum obstetricium Prof. Credé, clinicum ophthalmiatricum Prof. Ruete, policlinicum medicum Dr. Th. Weber, cursum operationum chirurgicorum Prof. Guenther, examinatorium chirurgicum Dr. Schmidt.

Berolini:

Langenbeck: de Akiurgia.

Feiler: de operationibus obstetriciis.

Clinicen adii morborum nervorum Prof. Romberg.

Clinicen chirurgicam Prof. Juengken.

Clinicen obstetriciam Prof. Busch.

Clinicen morbor. syphilitic. Prof. de Baerensprung.

Clinicen paediatricam Dr. Ebert.

Quibus viris omnibus, praeclare de me meritis, gratias ago quam maximas.

Jam vero tentamine medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione hac thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Abortiva Ricordi methodus gonorrhoeae curandae rejicienda.
2. Vaccinatio optimum est variolarum prophylacticum.
3. Fractura cum depressione cranii semper trepanationem indicat. —